

FK.133.  
81

X 186 2276

II h  
808

De Sacris Palladiis apud Graecos et Romanos

FESTUM  
**P**ALLADIS,  
MUSIS AUGUSTIS  
CELEBRANDUM,  
DECENTISSIME INTIMAT  
M. JOH. CHRISTOPH. Stange/  
PHIL. CIVIL. ET ELOQV.  
PROF. PUBL.

Leucopetræ,  
STANNO BRÜHLIANO.





Alladis recludenti Sacrarium , cultumqve  
commentitii hujus Numinis ad rem Chri-  
stianam transferenti , tanta rerum multi-  
tudo & farrago occurrit, ut uno obtutu sin-  
gula perlustrare, aut suo quidqve loco dige-  
rere & collocare animus nequeat. Abovo  
tamen, qvod dicunt, rem orsus, idem esse  
& Palladis & Minervae Numen, ex Calli-  
macho & Herodoto inter omnes constare arbitror; qvan-  
qvam Apollodorus in Bibliotheca de Diis , qvam Vossius ipsi  
tribuit, aliud sentire videatur. Qvod ideo tenendum est, ne  
quid alterutri denegemus, qvod utraqve jure sibi vendicat. In  
Græciam itaqve navigandum, veteresqve Grajorum Magistri  
consulendi sunt, si qvis feriarum festorumqve dierum , qvos  
Palladi sacratos voluerunt prisci gentiles , rationem recte co-  
gnoscere velit. Tantæ quidem antiquitatis fuit hujus Deæ Re-  
ligio, ut Ægyptum qvoq; huic addictam fuisse memoriæ pro-  
ditum sit. *In Sai* (oppido Ægypti) inquit Cælius Rhodiginus  
lib. 5. Lect. Antiq. cap. XII. *Pallados erat templum, qvam Iſin etiam*  
*arbitrantur, ejusmodi præscriptione:* Εγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός, καὶ ὁν, καὶ ἐσό-  
μενον, καὶ τὸν ἔμον πέπλον ἀδεία πω θυτός απεκάλυψεν. *Ego sum omne, qvod fu-*  
*it, est, erit: meum peplum mortalis revelavit nemo.* Sed longe fre-  
quentiore ejus cultus fuit in Græcia; hic enim perpetuam fixis-  
se sedem, omnemqve hūc & splendorem & gratiam suam de-  
portasse videbatur. Hæc tot templa, sacella & delubra; Hæc  
tot aras & statuas, Palladi dicatas, advenis olim ostentabat:  
Qvæ vero pluribus perseqvi facile super sedeo, dum de Sacris  
Palladis , festisqve tantum diebus mihi agendum esse, memi-  
ni. Primas verò hic defero huic diei, qvem eodem mense,  
Novembri, festum agebant, & Palladi cultui destinaverant  
Græci, qvo Musæ Augustæ ex præscripto legum diviniori Pal-  
ladi Christiano more litare consvererunt. Choës ipsis diceba-  
tur solenne, cui qvotannis XII. Anthesterionis, sive, qvodi-  
dem est, Novembris vacare solebant; receptumqve erat, ut  
co die Sophistis, vclut Casaubonus interpretatur, Scholarum  
Magi-

275

Magistris Minervalia offerrent discipuli, qvi vicissim ab illis festivo epulo excipiebantur. His succedant festa Panathenæa, cum majora, qvæ Theseo tribuuntur, & qvinqvatria Romanis audiunt, qvod qvinto qvovis anno recurrebant; tum minora, qvæ Erichthonius, Vulcani filius, in honorem Minervæ indixerat. Rem spectaculo dignam narrant historici, qvoties in hæc solennia incidunt. Undique adducebantur boves, ad sacrificia instauranda, tantusqve fiebat Gentis Atticæ concursus, ut amplissimæ Athenæ non sufficerent omnium ordinum atqve ætatum multitudini recipiendæ. Tum vota & preces nuncupabant Palladi, faustis acclamatiōibus se invicem excipientes. Virgines qvoqve suas hic partes habebant, dum peplum circumferebant, in qvo res, à Minerva præclare gestæ, miro artificio expressæ erant. Diutius his immorarer, nisi è Græcia nunc revertendum, & ad vetus illud Latium, pri scosqve Romuli nepotes mihi accedendum esset. Hic leviter saltem circumferens oculos; in celeberrima illa qvinqvatria incido, qvæ modo attigi, qvæqve Græcorum Panathenæa excepérunt. Cur & hæc Palladi sacrata fuerint, Festus seqventibus exponit: *Minervæ dicatum eum diem existimant, qvod eo die ades ejus in Aventino consecrata est.* Aliam rationem reddit Ovidius lib. 3. Fast. v. 809. &c.

*Una dies media est, & fiunt sacra Minervæ,  
Nominaqve à jundis qvinqve diebus habet.  
Sangvine prima vacat, nec fas concurrere ferro;  
Causa, qvod est illa nata Minerva die.*

Prima hujus celebritatis die sacris vacabat populus, & sacrificia factitabat; Magistri verò de Pallade, deqve vero ejus cultu solennes orationes habebant, qvod Dresserus in libello de festis animadvertis. Et cum omnis sapientiæ, omniumqve artium & liberalium & illiberalium, uti distingvunrur, principem ac inventricem crederent Palladem, sua qvisqve opera qva poterat pietate, Deæ commendabat, eamqve sibi propitiam reddere studebat. Quem ritum loco dicto prolixius commemorat Ovidius, eumqve ita concludit:

*Pallada nunc pueri, teneræqve ornate puellæ;  
Qui bene placarit Pallada, doctus erit.*

Tantum potuit ratio apud homines, cœlestis doctrinæ ignaros, ut bonas literas & ingenuas artes omni & cultu & veneratione dignas firmiter crederent. In qvoqvidem sua laude non

FK Th 808

non defraudandi sunt, in eo vero omnino miseri censendi, qvod proci instar Homerici solius ancillæ amoribus irretiti, dominam, sive Theologiam, unicam illam æternæ felicitatis Magistram, omniumqve scientiarum Reginam, turpiter neglexerunt & ignorarunt. Sed hæc Gentilium miseria nostram arguat felicitatem, qvibus utramqve amplecti, & mira utriusqve svavitate quotidie perfundi contigit. Redeunt jam felices, imo felicissimæ illæ Calendæ Novembres, qvibus XXXIV. ab hinc annis auspicio Reverendissimi & Serenissimi qvondam Principis, D. AUGUSTI, Primitatis Germaniæ, Saxoniaeque Ducis gloriofissimi, Sacra hæc Pallas primum ad nos divertens, merces suas, nullo pretio æstimandas, Leucopetræ venales exposuit. A quo tempore singulari plane clementia & munificentia Serenissimi qvondam Principis, D. JOHANNIS ADOLPHI, nutrita & omnibus modis culta, semper jucunda sua exercuit negotia, multorumqve operata est salutem & prosperitatem. Novum nunc naœta Parentem, Tuttorem, & Nutritorem in Serenissimo Principe ac DN. DN. JOHANNE GEORGIO, Saxoniae, Juliæ, Clivium, Montium, ut & Angriæ & Westphaliæ Duce inclytissimo, Domino nostro clementissimo, impense sibi gratulatur; ejusqve nixa clementia & munificentia, certo confidit, fore, ut subinde & pulchrior & gravior assurgat. Nec qvicquam magis à DEO expetit, qvam ut Augustissimum hunc Musarum suarum Conservatorem diu salvum præstet & in columem, dignamqve principali fastigio & ætatem & felicitatem ipsi largiatur! Ne vero amore & pietate in honestas artes ab ethniciis hominibus nos vinci patiamur, agite conveniamus, FESTUM CHRISTIANÆ PALLADIS craftina, DEO annuente, luce H. L. Q. C. celebraturi. Qvibus sacris ut interesse dignentur omnes, de qvibus bene merita est, & etiamnum bene meretur Pallas, ab unoqvoqve eorum, qva decet observantia & humanitate rogo & contendeo.

P. P. Pridie Cal: Novembris A. O. R.

M. DC. XCVIII.

107

106





macho &  
 qvam Ap  
 tribuit, a  
 qvid alter  
 Græciam  
 consulend  
 Palladi sa  
 gnoscer  
 ligio, ut  
 ditum sit.  
 lib. 5. Lec  
 arbitrantur  
 μενον, καὶ τὸ  
 it, est, eri  
 quentior  
 se sedem,  
 portasse v  
 tot aras &  
 Qvæ ver  
 Palladis,  
 ni. Prin  
 Novemb  
 Græci, q  
 ladi Chris

anti Sacrarium , cultumqve  
 ujus Numinis ad rem Chri  
 crenti, tanta rerum multi  
 occurrit, ut uno obtutu sin  
 c, aut suo qvidqve loco dige  
 animus neqveat. Abovo  
 cunt, rem orsus, idem esse  
 inervæ Numen, ex Calli  
 constare arbitror; qvan  
 de Diis, qvam Vossius ipsi  
 vod ideo tenendum est, ne  
 raqve jure sibi vendicat. In  
 resqve Grajorum Magistri  
 estorumqve dierum, qvos  
 ntile, rationem recte co  
 qvitatis fuit hujus Deæ Re  
 dictam fuisse memoriæ pro  
 inquit Cælius Rhodiginus  
 erat templum, qvam Iſin etiam  
 ειπι πᾶν τὸ γεγονός, καὶ ὅν, καὶ ἐσό<sup>υ</sup>  
 οὐ. Ego sum omne, qvod ful  
 lavit nemo. Sed longe fre  
 hic enim perpetuam fixif  
 orem & gratiam suam de  
 a, facella & delubra; Hæc  
 advenis olim ostentabat:  
 per sedeo, dum de Sacris  
 mihi agendum esse, memi  
 ei, qvem eodem mense,  
 Palladis cultui destinaverant  
 scripto legum diviniori Pal  
 ladi. Choës ipsis diceba  
 tur solenne, cui qvotannis XII. Anthesterionis, sive, qvodi  
 dem est, Novembris vacare solebant; receptumqve erat, ut  
 eo die Sophistis, velut Casaubonus interpretatur, Scholarum  
 Magi-